

Phæn. IV.

culæ in aquam descenderet, & interjectâ aliquâ temporis morâ aliquid aquæ ad summitatem usque tubuli sublatum in lactis locum cerneretur: Quod spectaculum postea jucundius adhuc accidit, cùm aquam adhibuissimus ligno Brasiliensi tinctam; non sine causa persuasi, felicius adhuc cessurum experimentum, si aquæ spiritus vini rectificatus aut levior alius substitueretur; quemadmodum, occasione tam commodâ invitante, vulgare illud experimentum vini aquâ sic diluendi ut innoxium postea in morbis etiam calidioribus hauriri queat, tentare quoque collibuit. Ampullam scilicet aquâ plenam super alia ampulla vini plenâ ita subvertimus, ut orificium orificio commodè quadraret; deprehendimusque elapso temporis intervallo notabili, aquam è superiore ampulla in inferiorem delapsam, vinumque e contra maximam partem in superiorem sublatum fuisse, utriusque colore hanc loci mutationem satis prodente, tametsi sapor vini valdè dilutus multæ aquæ præsentiam abunde demonstrabat.

Phæn. V.

IV. Suasit eadem occasio aliud quoque experimentum jam vulgatum, quod B. SWENTERUS in Delic. Physico Math. Part. XIII. Prop. XXXI. describit, unâ capere, ideò maximè, quod in assignanda causa Virum Laudatissimum rem acu non tetigisse videremus. Vasculum vitreum cylindraceum aquâ supra medietatem replevimus, & superimposito labris ejus orbiculo ex charta simplici qui totum ejus orificium contegeret, mox ictu subito pulsantes expansâ dextræ manûs volâ memoratam chartulam, sinistrâ confestim invertimus poculum, ut charta subjectam mensam respiceret, vidimusque aquam omnem à chartaceo orbiculo ita sustentatam ut ne guttula quidem excideret. Quin etiam, (quæ nova est experimenti accessio) cùm inversum ita poculum supra mensæ planitiem statuissimus & à chartula sua jam lubriciore factâ, motu horizontali abduxissimus, emovere quaquaversum in eadem planitie potuimus vasculum unâ